

quo illo tempore habitabant . Et hoc quidem respondendum volumus , si Hetruscis fragmentis adhibenda sit fides . At monumenta ista caducæ fidei , Eruditi pronunciant ; ac proinde haud amplius in iisdem observandis immorandum .

Remanet tandem ut videamus , re vera qui fuerint Brutiani illi , de quibus Cato scribebat . Si vere Cato scripsit illa ; non alii Brutiani fuerunt , quam Romani , a quibus Decemviros flagellatos fuisse , assererat . In decimaquarta Romæ regione , trans tyberim flumen , vicus erat , qui Brutianus Campus dicebatur ; ut scribunt Panvinius de Pop. Rom. tit. de regim. fol. 249. Rosinus lib. 1. Antiquit. Rom. c. 13. fol. 23. Cur ergo de Brutianis istis non intelligendus est Cato , quando tempore illo , quo res gesta narratur , & Brutiani isti Romæ erant , & alii , qui postea Brutiani dicti sunt , in rerum natura non erant ? Romanos homines Liçtoris officium exercuisse , §. II. , quum de Liçtoribus scriberemus , diximus . Nil ergo absurdi ex hac parte , si Catonis verba de Brutianis pro Romanis , vicum illum incolentibus , intelligenda esse dicamus .

Immo & hunc etiam fuisse morem apud Alexandrinos , in Philone legimus , quem Baronius ad an. 34. refert . Scilicet Alexandrinos , non ab ordinariis Liçtoribus , ut Ægypti cæteri populi consueverant , sed ab ipsismet Alexandrinis flagellari , quum eos flagellis cædi oporteret . Et apud alios Scriptores legitur , nempe Gretser. t. 1. de Cruc. lib. 1. c. 74. Beyrlinch v. *Liçtores* , aliarum gentium homines , non ab ordinariis militibus , sed a Tribunis , percussos esse , honoris ergo , quando eorum crimina id exigerent . Et apud Germanos etiam num quando nobilis vir ultimo supplicio est afficiendus , non a Carnifice , sed ab alio nobili homine percutitur .

Hæc